



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 42. Oportere Religiosum à mundo alienum esse

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

tati sunt, ut Deo & Ecclesiæ deserviant: nihil tamen totius anni decursu agunt, quod unius diei alimoniam mereatur. Nunquam desunt illis verba, ut totâ die inutiliter cum hominibus sermones misceant: muta verò sit lingua, deficit sermo ut vel modico tempore de Deo, vel cum Deo loquantur. Alii verò sunt, qui averſi à propriâ vocatione, in qua permanendum esse Apostolus monet, ad alium statum quasi perfectiorem aspirant; cumque mores mutare deberent, hanc mutationem differunt, donec sint in alio loco, ad quem nunquam pervenient. Somnia vigilantium ista sunt & subtilissima diaboli tentatio, nam cœlum non animum mutant, qui per loca diversa vagantur. Difficile est ut alio loco laudabiliter vivat, qui se & sua vitia secum portat.

§. XLII. *Oportere Religiosum à mundo alienum esse.*

Tunc Religiosus sperare poterit se initium aliquod perfectionis habere, cum ipsum homines oderint & despexerint. Unusquisque enim sibi dissimiles odit & Christus discipulis suis dixit; *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ioan. 15. 19. Quod si Religiosus de mundo non est, ita vitam in monasterio instituere debet, ut modo vivendi ostendat, se statum pœnitentiæ profiteri ad expianda peccata, quæ olim in mundo perpetravit. Quia magis autem à mundi actibus alienus fuerit, eo citius ad apicem perfectionis perveniet: & quo minus inter gentes versabitur, eo majori pace & animi libertate fruatur. Facile transitur ad plures, & pravorum exempla sensim bonos ad similia disponunt. *Commisti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum.* Psal. 105. 35. & *facti sunt sicut populus, ita & Sacerdos.* Isai. 24. 2. Nimia quoque familiaritas, & assidua cum hominibus consuetudo fastidium gignit, occulta vitia detegit, contemptum parit & fervorem devotionis extinguit. *Nemo*

mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Luc. 9. 62.

§. XLIII. *Arguuntur qui regimen animarum ambiunt.*

Magna temeritas Ecclesiasticorum est, qui cum viribus careant ad onus pastorale ferendum, illud tamen anxie quærunt & se illi sponte subjiciunt, non vocati à Deo, sed spiritu elationis impulsì; non ut gregem pascant, sed ut ipse pascantur; non ut regant, sed ut dominantur. Res planè horribilis, ac deploranda est, quod regimen animarum plurimi ambiunt, sed nemo considerat quanti momenti sit fidejussorem Deo esse pro animabus Christi sanguine redemptis, atque onus accipere usque ad cœli valvas portandum sub pœnâ æternæ damnationis, si illud culpabiliter excutiant. Ut autem suæ superbiæ velamen obtendant, libenter arripiunt quod ait Apostolus: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 1. Tim. 3. 1.* nec tamen advertunt quod laudato desiderio id quod laudaverat in terrorem protinus vertit subdens, *oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, modestum.* Et quis est tantâ præditus sanctitate, ut possit se in omnibus irreprehensibilem exhibere? Merito igitur pastorale officium ars artium dicitur, & onus Angelicis humeris formidandum. Quantum enim judicii requiritur ad regendos homines, quorum mira diversitas, incredibilis inconstantia, nulla sinceritas? Quantum luminis ad occulta cordium penetranda, quod Dei proprium est & ad intentiones discernendas? Quantum prudentiæ ad diversorum propensiones dignoscendas? quantum diligentia, ut abstrahatur anima à peccato? quantum industriæ ad obstandum tentationibus? quantum solertiæ ad avertendas malorum occasiones? quantum scientiæ ad moderandam conscientiam? quantum fortitudinis ad coercendos peccatores? quantum virtutis ad resistendum adversariis? quantum patientiæ in tolerandis imperfectis? quantum constantiæ in bonis pro-